



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Cruce
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi
coadiutoris**

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

Epistola IV. Ad eandem Matrem Priorissam Conuentus Cordubensis.
Instruit eam qua ratione prouidere debeat rebus temporalibus, &
spiritualibus sui Conuentus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873

tis, nec experiemini plures necessitates quam illas, quibus corda vestra sponte subijcere volueritis: siquidem pauper spiritus in rerum defectu laetior est, magisque contentus: eò quod suum Totum in Nihilò reposerit. & sic ubique affluentiam & cordis amplitudinem reperit. Felix Nihil! felixque cordis latibulum! quod tantæ virtutis est, vt omnia subijciat, cum nihil sibi subijcere velit, curasque omnes deponat, vt amplius amore inardescat. Omnibus sororibus in Domino salutem dico. R. V. eis dicat ex parte mea, quod à Domino assumptæ sint, tanquam primarij istius Foundationis lapides: & vt cogitent quales eas esse oporteat, quæ tanquam fortiores debent esse fundamentum cæterarum. proficiant ex primitiis huius spiritus, quem Deus initio conferre suevit, vt denuo perfectionis iter, in omni humilitate & abstractione intus & foris, arripiant: non puerili animo, sed virili voluntate mortificationem & pœnitentiam sequantur, cupientes vt hic noster Christus aliquo vobis constet. dissimiles ijs qui propriam commoditatem & consolationem siue in Deo, siue extra ipsum quærunt, sed potius illis similes, qui in silentio & spe, cum amore, siue in Deo, siue extra ipsum, patiquærunt. Deus det vobis gratiam suam. Amen. Segobrida. 28. Julij 1.89.

Frater Ioannes à Cruce.

EPISTOLA IV.

Ad eandem Matrem Priorissam Conuentus Cordubensis. Instruit eam quæ ratione prouidere debeat rebus temporalibus, & spiritualibus suis Conuentus.

Es vs sit in animata, filia in Christo Charissima. Causa cur toto isto tempore à te relato nõ scripserim, potius adscribendum est loci distantia (cum agam Segobridæ) quam voluntatis defectui: hæc enim semper eadem in me est, & in Domino semper futuram spero. Infirmatibus tuis condoleo; quoad temporalia istius monasterij, nollem te adeò esse sollicitam, sic enim fiet vt Deus illius obliuiscatur, magnamque penuriam spiritualiter ac temporaliter incurretis; sollicitudo quippe nostra ipsa nos depauperat. *Lactis ò filia, in Domino totum cogitatum tuum, & ipse te enutriet.* Is enim qui, quod amplius est donat, & donare vult, non potest quod minus est non largiri. Ne desit tibi desiderium carentiæ, & paupertatis; eadem quippe horâ deficiet tibi spiritus, & in virtutibus eris remissior. Quod si pridem pauper esse optabas, nunc quando Prælate munere fungeris, id multo magis optare, & amare teneris; domum etenim virtutibus magis & desiderijs cælestibus regere, eique prouidere debes, quam sollicitudinibus, & inuentionibus circa res temporales, & terrenas: dicente nobis Domino, vt neque de cibo, neque de vestitu, neque etiam de die crastina cogitemus, nec recordemur. Hoc vnum R. V. facere incumbit, nempe, vt animam suam, & suarum monialium cum omni perfectione ac religione Deo vnitas esse curet, & oblitus omnis creaturæ, & respectus ad ipsam, vt sic omnes in Deo vnum sitis, & in illo dumtaxat hilares; nam quod attinet ad reliqua, ego fideiubeo. Sororibus salutem plurimam in summo bono nostro dico, qui numquam deserat spiritum tuum, mea filia, amen. Matrivi 20. Iunij. 1590.

Fr. Ioannes à Cruce.

M m 2

EPI-